



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quomodò contemptores huius praecepti peccant, atque puniuntur hîc & aeternatliter.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

feriari, est quiescere ab operibus externis, & intus
 permittere sibi benefacere à Deo: Hoc sic facit Deus,
 quando bonorum nostrorum non indiget. Psalm. 15.
 deindè, quoniam tam pius & propitius est, vt omni-
 bus libenter ipse bonū faciat, vel laudetur gloria gra-
 tiæ suæ, Ephes. primo. Etiam vult Deus, vt à labore
 manuali cessemus in laudem suā, & in testimonium
 fidei nostræ: nam credimus quòd Deus velit & pos-
 sit nos enutrire: & dum ipse manum aperit, omnia
 implentur: si ipse claudit & cæt. Psalmo 107. Ideò cre-
 dimus, si non omni die laboremus, sed ad laudem &
 præcepta illius quiescimus, quòd denique velit &
 possit nos enutrire, sicut dicitur Matth. sexto, Pri-
 mùm quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc o-
 mnia adicientur vobis. Et quoniam Deus ipse seruit
 nobis sabbatho, vt diximus, ideò debemus & nos
 proximo nostro seruire.

Quoniam hoc præceptum, quoad opus, est mora- 3.
 le & perpetuum, & quoad speciem, id est, septimi diei
 obseruationem, est cæremoniale: & de hac cæremo-
 nia iudicandum est, quemadmodum etiam de cæte-
 ris Iudaicis cæremonijs: ergò peccant grauitèr, qui
 contumaciter negligunt publicum ministeriū & cæ-
 remonias diuinitus institutas: primùm, quia nolunt
 uti beneficio Dei, quia Deus ibi nos exerceri, erudi-
 ri ac instrui vult: Deindè, quia suum officium non
 conferunt ad conseruationem publici ministerij: po-
 stemò, quia per exemplum suum abducunt alios à
 cæremonijs, & minuunt earum reuerentiā: hæc pec-
 cata non sunt extenuanda. Insuper sabbathum de-
 honestatur, quandò non acceditur ad verbum Dei,
 non oratur, dum diù dormitur, spatiat, inebriatur,
 saltatur, luditur, luxuriatur, negociatur, & cæt. quan-
 dò etiam sine causa franguntur Decalogi præcepta,
 hic in duplo peccatur: primò, quia talia vitia in se
 sunt prohibita: deindè, quòd ea sabbatho perficimus.

Ideò Deus irascitur & punit nos, vt nulla nobis sit prosperitas seu fortuna: depauperamur, cogimur tandem die ac nocte laborare, & tamen semper deficimus. Et hoc est iudicium Dei, quandò in mediocritate nolumus feriari, tunc cogimur necessitate extrema laborare sabbatho, vt sustentemur & vitæ habeamus necessaria. FERIA igitur seruanda est, non solum opere, sed etiam voluntate: quæ feria tunc fit, quandò nostram voluntatē & mala desideria deponimus, & permittimus nobis placere Dei voluntatem, Mat. sexto, Fiat voluntas tua. Sic quoque feriari docuit Christus.

CAPVT VII.

ARGVMENTA.

1. *Qualis fuerit intellectus falsus Iudeorum de violatione sabbathi.*
2. *Quare Christus communiter sanauit sabbatho, & fecit miracula.*
3. *Quomodo charitati proximi cedere debet omnis lex tam diuina quam humana.*

1. **P**rimi Machabæorum secundo legitur quòd penè mille homines absconderunt in spelunca in persecutione Antiochi permiserunt se occidi sabbatho cum uxoribus & filijs, & nolebant vnum lapidem mouere ad ostium speluncæ aut se defendere ne violarēt sabbathum. Sic 2. Machab. 6. multi Iudei se potius comburi permiserunt in spelunca die sabbathi, quàm se defendere. Ob eam causam Tyranni proximè in die sabbathi mouerunt bella contra Iudeos vt statim totum populum cum habitaculis delecerent quoniam